

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Fortitudo z
cum fonte primo

Queris an omne bonum optabile sit.

Si bonum est, inquis, fortiter torqueri et magno animo uti et pacienter egrotare,
sequitur ut ista optabilia sint.

Distingue:

tormenta a me abesse uelim, sed si sustinenda fuerint,
ut me in illis fortiter, honeste, animose geram optabo.

Velim non incidere bellum, sed si incido, et uulnera et famem et omnia,
que bellorum necessitas affert, generose feram optabo.

Itaque non incommoda optabilia sunt, sed uirtus qua preferuntur incommoda.

Non pati tormenta optabile est, sed pati fortiter.

Seneca LXVIII. epistola.

Quaeris an omne bonum optabile sit.

‘Si bonum est’ inquis ‘fortiter torqueri et magno animo uri et patienter aegrotare,
sequitur ut ista optabilia sint;

nihil autem video ex istis voto dignum.

Neminem certe adhuc scio eo nomine votum solvisse
quod flagellis caesus esset aut podagra distortus aut eculeo longior factus.’

Distingue, mi Lucili, ista, et intelleges esse in iis aliquid optandum.

Tormenta abesse a me velim; sed si sustinenda fuerint,
ut me in illis fortiter, honeste, animose geram optabo.

Quidni ego malim non incidere bellum? sed si inciderit, ut vulnera, ut famem et omnia
quae bellorum necessitas adfert generose feram optabo.

Non sum tam demens ut aegrotare cupiam; sed si aegrotandum fuerit,
ut nihil intemperanter, nihil effeminate faciam optabo.

Ita non incommoda optabilia sunt, sed virtus qua preferuntur incommoda.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 67.3-4 (L. Reynolds ed.,
pp.194-5, ll.19-28, 1-5).

Non enim pati tormenta optabile est, sed pati fortiter:
illud opto ‘fortiter’, quod est virtus.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 67.6 (L. Reynolds ed., p.195,
ll.20-21).